



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 11. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

dolensio modica est. Si autem valde enormis sit, non obstat iuramentum, quia cum tali conditione censetur editum. *Alex. Consil. 31. Socinus Consil. 220 Decius Consil. 11. Gaill. l. 1. obs. 1. n. 49. Parnorm. in c. Cum dilectus. n. 17.*

Theologi verò consulunt, ut in tali eventu pro maiore animi, & conscientie securitate peccatur absolutio à iuramento, in qua danda Episcopus facilem se præbere debet. *Bald. in l. fin. C. de non numer. pecun. Silvest. V. Iuram. §. 5. num. 3. Armilla n. 20. Az. l. 1. l. 11. c. 9. q. 5. l. 6. c. 42. n. 62.*

§. II.

Satisfit Dubiis de appellatione.

Dub. 1. Vtrum appellatio sit iuris naturalis?

R. Esse quoad substantiam, seu quatenus est defensio, seu medium contra ignorantiam, & iniquitatem iudicii: quoad solennitatem verò ut hodie fit, iuris humani tantum censeri, Quamobrem in *Clem. Pastoralis. de sentent. & re iudic.* defensio adversus crimen delatum à iure naturali provenire dicitur, adeoque prohiberi non potest. Item *l. Vi vim. ff. de iust. & iure.* Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimatur. *Socin. Reg. 442. & seq. Valent. 2. 2da. Disp. §. 9. 13. pun. 3. Schyvanmann. de diff. ferent. l. 10. Ciu. & Camer. Differ. 16. Silvest. num. 2. Armilla eod. Barb. in c. Ad nostram. 3. de appellation. Rosella. num. 1.*

Hinc patet resolutio ad illam Questionem. An statuto aliquo, vel consuetudine tolli appellatio queat. Nam quoad solennitatem extrinsecam, & conditiones arbitrio legum inventas & præscriptas omnino aboleri potest. Minimè verò quoad ius defensionis, quod cuique pro depulsione iniuriæ & conservatione bonorum suorum Natura largitur. *l. 1. ff. de appellat. Petr. Follelius in Prax. Censuali pag. 526. Card. Lugo Disp. 40. §. 3. num. 30. Sanchez. l. 6. Consil. c. 4. Dub. 2. Tuschus Consil. 399.*

Dub. 2. An valeat appellatio alter-nativa?

Respondet *Steph. Gratianus in Decisione 199.* iure Canonico non valere. v. gr. Appello ad Archiepiscopum, & quemlibet iudicem competentem: nisi infra terminum datum ad appellandum determinetur, & declaretur, coram quo quis velit prosecui appellationem: licet iure civili valeret sine omni declaratione cum intelligatur de proximo. *Felin. in c. 2. de appell.* Idem dicendum de appellatione indefinite, & simpliciter, videlicet *Ad iudicem competentem.* Cum enim plures esse possint, facienda declaratio est.

Limita, quando ad unum ex ipsis tantum potuisset appellari. Tunc enim absque omni declaratione valebit appellatio. Unde in eo, qui non recognoscit vllum superiorem, præter summum Pontificem, alternativa appellatio valet. Appello ad summum Pontificem, vel alium quemcunque Iudicem competentem. Idem fiet, si ad duos appelletur, quorum uterque competens est.

y

Gloss.

Gloss. & DD. maxime Bald. in l. apertissimi iuris. C. de iud. ff. de senec. l. 49. ff. de i. n. 9. ff. de iur. i. l. 1. obs. 7. Cotton. in sum. Diana. ff. appellatio n. 16.

Dub. 3. An reus, qui non est certus, sed dubitat de iustitia sententiæ contra se lata, appellare possit?

Ratio dubitandi est, quia in dubio pro sententiâ Iudicis, & superioris præsumendum videtur. Ideò enim ut Tit. 12. §. 3. n. 1. diximus sententiâ quamvis in dubia in rem iudicatam transit, quæ cum evidenter non constat de contrario, de bonitate & æquitate Iudicis præsumitur. *l. Ingenium. ff. de statu Hom. Nihilom.*

R. Illum qui de iustitia sententiæ lata dubitat, appellare posse. *Ratio*, quia iure suo utitur ulterius explorandi veritatem, & plurimum iudicium de controversiâ: quandoquidem fieri potest, ut novæ probationes excogitentur, vel alius Iudex perspicacior intellectu sit, vel maiori scientiâ, instructus. Certè experientia docet, multas sententiâs in iudicio appellationis reiectas, & correctas esse, contra quàm ipsi litigantes existimabant.

At ponamus Iudicem probabiliorum Doctorum opinionem iudicando secutum esse, nunquid acquiescendum erit? Affirmant *Sotus, Corduba, Navar. & alii*, quos refert, & sequitur *Sanchez. l. 6. Consil. c. 4. Dis. 2.* modò intelligatur de civilibus causis tantum. In criminalibus enim reus non est facilè damnandus peccati mortalis, cum possit aliquando spera-

te remissionem pœnæ, maxime operasui Aduocati. Probabilius censetur etiam in hoc calureum appellare posse, modo habeat opinionem probabilem contra opinionem Iudicis probabiliorum. Nam si generatim loquendo unicuique licet opinionem probabilem sequi relicta probabilior, quemadmodum docuimus ex pluribus in Tit. 2. §. 2. num. 10. nihil causæ est, cur soli reo negetur ea libertas. Optimè *Card. Lugo Diss. 40. sect. 3. n. 35.* Non video, inquit, cur possit reus ab initio se tueri habens probabilem causam contra probabiliorum, & non possit idem facere post latam sententiâ in negotio appellationis?

Licet nimirum illi, qui oppugnatur, circumspicere, & tentare omnia media non manifestè illicita, ut se suaque censeret, maxime si alterius arbitrio dubiæ litis relinquat decisionem. Notæ regulæ est. Defensor propriæ salutis in nullo peccare videtur. *l. si, ut allegas. C. ad l. Cornel.* Adde quod Iudex etiam in dubio de ferre appellationi debet. *Bald. in Pract. p. 82.*

Dub. 4. Titius appellat viva voce cum reservatione appellandi postea in scripto, quod post aliquod dies profectus, utra appellatio valida est?

Primam valere, ita ut ab ea incipiat currere tempus interponendæ, & prosequendæ appellationis, censet *Barthol. in l. Cum procurator. §. si dominus ff. de novi operis nunciat.* Consentit *Imola, Paulus Castri. & si Maranta credimus. pag. 264. n. 132. plerique alii Doctores.*

Secundam nihilominus appellatio-

nem

nem valere vult *Alexand. in cit. §. si dominus*. Nam si aliud non constet de intentione appellantis, in futuram scripto appellationem reservat sibi esse & um, legitur scriptæ, & non dictæ appellationi deferendum erit.

R. Primam appellationem viva voce factam valere. Quod ex contrario fundamento patet. Si enim consuetum morem agendi, & loquendi, ut debemus, attendere lubet, Titii verborum *Ego appello* & sensus non est, volo post aliquot dies in scripto appellare, sed, quod nunc dico, & facio, post aliquot dies scripto tradam memoriæ scilicet, & maioris firmitatis causa. Præterea, ut appellare liceat viva voce, legibus constitutum est. Ergo appellationis viva voce factæ aliquis effectus erit, nimirum illi proprius, ut suspendat executionem sententiæ, & ab ea non valeant attentata, curratque tempus prosequendæ appellationis. *l. cum procurator. §. 1. ff. de no. op. nunc. v. Marantam l. cit. Bartol. in l. cita. Procurator. Guido Papa Decisioni 82. Berlich. Par. 1. Concl. 35. num. 56. & sequ.*

Dub. 5. An permittatur appellatio in causis minimis?

Minima causa censetur, quæ duorum aureorum est, & quæ sumptus iudicii ferre non potest. *l. 1. ff. de dolo*. Item quæ 10. libras non excedit. *l. anterior relata in c. 28. 2. q. 6.* Ex remotis provinciis Imperator vetat Romam appellari si summa non excedat 10. libras. *Menoch. Casu 72.* Olim in Camera Spirensi, quæ 50. florenis minor erat, reiciebatur ut paulò post videbimus.

R. Etiam in minimis causis Iure Canonico admittitur appellatio. *c. de appellationibus n. hoc tit. ubi Alexander III.* De appellationibus. Pro causis minimis, volumus retinere, quod eis, pro quacunque levi causa fiant, non minus est, quam si pro maioribus fierent, deferendum. Ratio dari potest, quia appellatio non fundatur in quantitate gravaminis, sed iniustitia sententiæ, & iniquitate iudicis. Potest autem in minimis quoque reperiri iniustitia. Modicum enim non differt à magno, quando non est fundatum in quantitate rei, sed in pravitate, & iniustitia. *Barb. in cit. de appellationibus.*

Ad praxin quod attinet, in plerisque locis contraria est. Romæ enim coram Illustrissimo Vicario non appellatur, nisi summa excedat quinque ducatos auri de Camera. Coram senatore, eiusque collateralibus, si à decem & infra scutis minor sit. Neapoli non admittitur, cum duarum unciarum summa tantum est. Mediolani à libris decem, & infra, quando sententia est lata sine consilio sapientis. *v. Barb. lo. cit.*

In Spirensi dicasterio, ut ordinationes *Anni 1555. docent. Par. 2. num. 28.* non recipitur appellatio, nisi summa attingat quinquaginta florenos: quæ summa postmodum aucta est, teste *Gaill. l. 1. obs. 123. n. 1.* ad 150. flor. eaque nuper denuò aucta, & præstituta summt 300. florenorum.

Quod minus mirum videri debet, si Iure civili communi in minimis causis

non admittitur appellatio, ut DD. communiter tradunt, quamvis non sine multis limitationibus. Nam *Primo* non attenditur prædicta summa in actione iniuriarum, siue actum sit ad reclamationem, siue ad satisfactionem vel æstimationem iniuriæ, quia fama hominis rerum omnium pretiosissima est, imò inæstimabilis reputatur. *l. si auctus ff. de reg. iur. l. Ex hac lege. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

Secundo in controversiis de annuis redditibus, & censibus, iure decimarum, servitutibus, iurisdictione, aliisque iuribus incorporalibus, quæ variam pro cuiusque affectu æstimationem recipiunt; quibus tamen aliqua æstimatio facta est in Comitibus Spirensibus. *Anni 1570.*

Tertio, si reus immediatè in Camera forum sortitur in prima instantia, quia tunc per viam simplicis querelæ causa ibidem recipi, & agitari debet, licet summa minima sit. *l. fin. C. ubi in rem act. cum similibus v. Andr. Gaill. l. 1. observ. 113. Mynsing. Cent. 3. obs. 89. & Cent. 7. observ. 83. Bohl. h. Concl. 35. n. 20. Schyvanman l. 2. c. 1. n. 4.*

Dub. 6. Vtrum appellatio scholastici, seu Academiæ immediata valeat?

R. *Maranta Par. 6. §. appellatio. n. 361.* circa finem docet, ex speciali privilegio concessio per Imperatorem Fridericum. *Auth. Ne filius pro patre*, scholarem posse à quocunque Iudici inferiori ad Imperatorem appellare omisso medio, ut Baldus quoque fateretur in *di. Auth. v. Dein. de sequitur*, ubi dat duas specialitates scholaribus contra ius commune. *Pri-*

ma est, ut possint ab omni gravamine appellare, quod iure civili regulariter est prohibitum. *Secunda*, ut possint appellare ad Principem omittis mediis. Idem tradit *Julius Pacius in Commentario di. Auth. c. 6. n. 18.* ex communi sententia *Doctorum*, qui Baldus adherent. Quo etiam respexisse videtur *Julius Herbipolensis episcopus*, qui teste *Adamo Conzen l. 14. Politicor. c. 14.* Academiæ à se restituta parem tribunali Cancellariæ potestatem tribuit, nec appellationem, nisi ad ipsum Principem permisit.

Est tamen hic ad consuetudinem localem, & particularia statuta quæ admodum varia, respiciendum, quibus Academiæ utuntur, ne appellatio, quæ in præsidium iniqua passis conceditur, insolentiam nutriat, ad prorogationem litium, & innocentium oppressionem serviat. *c. Cum speciali 61. hoc tit. Barb. & Phil. Francus ibid.*

Dub. 7. An Iudex omissa causa appellationis ad petitionem appellati in articulo principali procedere possit, & definitivè pronunciare?

R. *Posse. c. Cordis de appell. in 6. Ioan. Andr. ibid. num. 6. Ancharanus num. 7. Panor. num. 35.* Ratio est. Quod prius cognoscatur appellationis causa, quam Principalis, ad favorem appellati pertinet, cui ipse renunciare potest. Igitur si fecerit, æquo animo feret appellans, cum appellationem suam legitimam esse existimet, & consequenter totam causam ad Iudicem appellationis devolutam esse, in cuius potestate est, si consentiat appellatus, pronun-

pronunciare de facta appellationis æquitate, vel cognoscere de causa principali, propter quam appellatum est. Et hæc valde utilis cautela est pro appellatis contra eos, qui malitiosè à qua-cunque interlocutoria appellant, ad protrahendum in infinitum lites, ut renunciant favori suo, & urgeant causæ principalis cognitionem. Hoc enim, quia rationi, & æquitati consonum est, iudex omnino facere tenetur, quemadmodum in Spirensi Camera conluetum esse exemplis in medium prolatis docet *Gail. l. 1. observatione 136.* Additque tum maxime instandum ab appellato, & iudice appellationis, quando notatur tergiversatio appellantis, qui litigii productionem amat. *Cardin. Tuschus concl. 395.*

Dub. 8. An iudex appellationis causam remittere possit ad iudicem à quo appellatum est.

R. Quando malè iudicatum, & bene appellatum esse iudex censet, ac pronunciat, nullus remissioni locus relinquatur, sed ipse deinceps causam principalem cognoscere debet. *s. ut debuit honor hoc titulo & Glossa ibidem V, alioqui.*

Iudex igitur primo cognoscit de gravamine, & si inveniatur legitimam appellatam esse, & mox procedit ad causam principalem. Si autem malè appellatum sit, malè appellatum esse pronunciat, & litigantes ad priorem iudicem remittit, appellantem condemnando ad expensas. Et hic modus servatur, quando cunque à gravamine appellatum est. Quando autem

à sententia definitiva appellatum est, iudex de meritis, causam cognoscet & videt an bene an malè iudicatum sit. Et quidem bene, confirmabit sententiam, si vero malè cessabit. *l. eos C. de appellat. si plura capitula, vel articuli sint in sententia, iudex pro parte potest confirmare sententiam, & pro parte reprobare, prout iustitia requirit. Fachmannus l. prima c. 80. Cardinalis Tuschus Conclusione 418. Brecht. de processu iud. hoc titulo Lancellot. lege tertia instituit. eod. §. non omnis ergo.*

Dub. 9. Caius ob delictum plene probatum damnatus ad pœnam pecuniariam lege statutam protervè appellat, seque falsis testibus tueretur, teneturne ad pœnam illam non obstante appellatione?

Teneri censet *Ludovicus Beica casu 65.* quandoquidem, ut supponimus, sententia condemnationis iusta est, idque non ignorat Caius, resistit tamen, & impedire executionem conatur, non sine remorsu conscientie.

Nihilominus probabilem agnoscunt opinionem contrariam recentiores aliqui teste *Sanchez. l. 6. consilio 6. unico distinctione 37.* Rationem dant, quia talis appellatio secundum formam iuris concepta sententiam definitivam suspendit, consequenter pecunie solutionem. Quamdiu igitur per iudicem appellationis confirmata non est, Caius ad pœnam solvendam non tenetur. Vbi vides, nullam conscientie rationem haberi ab eiusmodi Doctoribus, sed supponere illos

y 3 legum

legum civilium interionem esse, ut iudicia exerceantur pure & absolute secundum ea, quæ foris parent, quicquid tandem in foro conscientie agatur, quod satis durum est. Quamobrem addi debet Caium non posse prosequi appellationem suam, vel adhibere media, quibus obtineat intentionem suam, cum plabâ iniqua sit; præterea ad expensas teneri adversario, quia iniuste oppugnavit, & damno affecit. *V. Sanch. loco citato & l. decimo de matrimonio distinctione octava numero decimo quarto c. quinto pagina 273. §. par. 10.*

Dub. 10, An & quomodo appellatio locum habeat in censuris Ecclesiasticis?

Censuras voto excommunicationem, suspensionem, & interdictum. His enim convenit censuræ definitio passim recepta, quod sit pœna spiritualis, & medicinalis, privans usu aliquorum bonorum spiritualium per ecclesiasticam potestatem imposita, sicut per eandem ordinariè absolvi possit. Qui aliter loquuntur & irregularitatem annumerant, eam nimirum, quæ ex delicto est, cum *Soto distinctione 22. quæstione tertia articulo quarto improprie loquuntur. Multo magis excludenda est depositio, degradatio & cessatio à divinis quærenti de verborum significatione c. statutum de sententia excommunicationis in c. c. 1. de iis, quæ vi metusve causa in c. ad quæstionem Navar. c. vigesimo septimo numero 152, cui adherent alii sum-*

mista V. Suarez. disputatione 1. sectione 3. His politicis quæ supra §. 1. & 2. strictim attingimus, explicanda ulterius hoc loco sunt. Igitur,

R. 1. Censura sub conditione lata appellatione interposita suspendi, & impediti potest. Ita *Celestinus 111. definit in c. persona 40. de appellatione. si quis iudex, aut ita protulerit sententiam. Nisi sempronio intra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum esse cognoscas, huiusmodi sententiam appellationis obstaculum impedit. Unde sequitur etiam præceptum illius, & obligationem suspendi, qui propterea appellatur à censura, ut præceptum impositum non obliget. Covar. in c. alma mater. parte prima §. decimo. Sayrus l. prim. c. decimo quinto Bonac. disputatione 2. pun. 2. Navar. c. 27. n. 273.*

Neque opus est semper appellatio ne explicita, verbo, aut scripto interposita, sed sufficere potest virtualis, vel etiam muta, cuiusmodi est.

Primo. Si quis ignorans modum appellandi, protectioni sedis Apostolicæ se committat. *c. ad audientiam hoc titulo.*

Secundo, si iter attripiat Romam iturus auxilii, vel liberationis causa. *c. dilecti hoc tit.* Plus enim videtur facto provocare, quam verbo. Tertio si per supplicationem, quærelam, aliumve modum recurat ad superiorem, & impleret opem contra impugnatores suos *Navar. c. 27. Sil. V. excom. §. 10. n. 2. Tolet. l. 1. c. 10.*

R. 2. Excommunicatio absolute lata per nullam appellationem impeditur, vel suspenditur. c. Pastoralis §. 3. de appellatione ubi Ratio additur, quia excommunicatio simpliciter inflicta executionem secum trahit, actu privans bonis spiritualibus, ad quæ extenditur. Adde c. u cui 20. de sententia excommunicationis in 6. ubi manifestè dicitur, neque excommunicationem, neque suspensionem, aut ipsius effectum per appellationem sequentem suspendi. Abb. in c. pervenit. hoc tit. Guido Papa numero 74. Lugol. 2. Resp. moral. dub. 6.

Aliaratio est sententiæ declaratoria qua nimirum aliquis denunciatur incurrisse excommunicationem, & ideo vitandum esse. Illa enim per appellationem impeditur, & suspenditur. Glossa in c. cupientes de el. in 6. Nav. in c. cum contingat. de rescriptis c. l. 5. Consil. nono numero quinto Gig. in Tr. de pensionibus questione 76. Toletus h. primo capite videamus numero 13. Zerola parte prima V. appellatio. Vallensl. 2. tit. 28.

Quid igitur remedii, inquis si quis absolute, sed si quis iniuste excommunicatum se esse existimet. Conniti debet, ut id perluadeat iudici, & absolvatur, nisi manifestè constet iniquam, & surreptitiam esse: quia nulla medicina queritur, ubi nulla plaga invenitur. Si autem probare velit nullitatem excommunicationis, aut alterius Cen. surz audiendus est. c. cum contingat 29.

de off. deleg. Suarez. V. disputatio 3. §. 2. 6. numero 6. Avila parte secunda disputatione quinta. dub. 7. Silv. V. excommunicatio §. decim. numero secundo Zerola parte secunda eod. Emm. Sa. V. excommunicatio numero tertio Creser. in examine myste-rii Plessani pag. 85.

R. 3. Qui absque iusta causa ab excommunicatione, aliave censura appellat, revera effectum excommunicationis non suspendit, sed ligatus manet quoad conscientiam suam, quamvis in foro externo pro non excommunicato habeatur. In dubio autem si reiecta fuerit appellatio, quæ in se valida est, tatus in conscientia erit appellans: in foro externo autem vitandus erit, quasi excommunicatus. c. is cui de sententia excommunicationis in 6. Avila de censuris parte secunda disp. 5. dub. 12. Silv. V. excommunicatio §. ult. numero 2. & alii sum. V. infratit. 16. §. 2.

Dub. II. Quæ sit pœna temere appellantium.

R. Temere appellans à iudice à quo excommunicari iure Canonico potest, ut contumax. Panorm. inc. sollicitudinem de appellat.

De æquitate Canonica non damnari nisi ad expensas ait Plul. Francus in c. inter cetera. Privat etiam quæ manifestè frivola est, remedio appellationis, ira ut iudex à quo nihilominus procedere in causa queat. Herculanius de attentione c. vigesimo septimo numero 21. Barb. in c. cum appellationibus hoc titulo in 6.

Iure civili punitur pœna ordinaria
50. li.

50 librarum argenti. l. ab excommunicatione C. quorum appell. non recip. Aliquando etiam panitur pœna extraordinaria. l. eos s. non temere C. de appellatione Interdum etiam amissione causæ, & nota infamiz, l. ad proconsulem eod. c. inter cetera ubi Phil. Decius Berlichius conclusione 35. n. 193.

Monet autem iudices Tholosanus l. 50 c. 1. n. 52. ut frivole & leviter appellantes severe castigent, ne lites crescant, & superfluis curis tribunalia (& conscientiaz onerentur.

Dub. 12. Quæ sit pœna appellanti-um à sententia Papæ?

R. 1. Qui à mandatis Papæ ad futurum concilium appellant, excommunicati sunt: Universitates verò, & capitula interdicto subiacent. Si unus ex Canonicis sit Episcopus, & cum capitulo appellandum cooperetur, non erit propterea interdictus Bulla Cœna n. 2. Bonac. to. 111. pag. 17. Dixi ad concil. futurum quia si concilium apertum sit, & præsideat pontifex, ab eius sententia ad concilium valere appellationem censet. Romanus consilio 421. prout idem disponitur de sententia Archi Episcopi, à qua potest appellari ad concilium provinciale. Et potissimè in tribus casibus, in quibus concilium censetur esse supra papam.

Primo si esset contra fidem.

Secundo si super eo, quod Ecclesia universalis declaretur.

Tertio si contineret peccatum mortale, ex quo scandalum in Ecclesia posset oriri. Abbas citatus apud Cardinalem Tuschum concl. 406. supponere videtur

in eiusmodi casibus appellationem admitti, quia pontifex consentire præsumitur. Addit denique numero decimo sexto. Licet non deur appellatio à sententia iniusta papæ, & imperatoris, admitti tamen provocationem, quæ est improprie dicta appellatio. Quia iudex iniustam sententiam ferens, in tali actu non est iudex.

Hinc tamen non bene inferas, pontificem concilio inferiorem esse. Nam absolute loquendo à concilio ad Papam appellari solet, ut ex Gelasio episc. ad Episcopos Dardaniæ Bellarmone monstrat l. secunda de concil. auct. c. decimo octavo,

R. 2. Qui consulunt, vel approbant appellationem à Papa ad futurum concilium non incurrunt excommunicationem Bulla C. D. sed ligantur alia excommunicatione Papæ reservata à Iulio 11. & Pio 11. quarum absolutio tamen fieri potest vi privilegiorum, quæ per alias non licet absolvere à casibus Bulke C. D. Nec nisi facta appellatione excommunicatio prædicta incurritur. Nav. c. 27. n. 58.

Dub. 13. Quid sentiendum de procuratore ad divinum tribunal?

Verissimum est illud S. Augustinus l. 19. de civitate Dei. 6. sæpe sit, ut innocens pro incerto scelere certissimas luat pœnas, adeoque desperato humani iudicis ignorantia & errore seducti præsidio, Dei omnia videntis opem, & vindictam imploret. A precantibus bene fieri extra controversiam est. De provocantibus, vel appellantibus dubium, quia

quia vindictam potius, quam sententiæ correctionem exoptare videntur. Licet enim esse sanctis viris censet *Torreblanca l. tert. Damonol. c. vigesimo octavo numero* sed eas citationes imitari homines incompetæ sanctitatis periculo non varent.

Eadem *Deltio* tradit *Disqui. magic. l. 4. c. 4. sect. 1.* non nisi sine extrinseco malam reddi provocationem ad divinum iudicium, existimans: per se vero actum bonum esse, ut patet ex exemplo *sacra Gen. 16.* iudicet terminus inter te, & me *Davidis 1. Regum 24.* Vlciscatur Dominus ex te, *Zacharie 1. Paralip. c. 24.* qui cum occideretur à Rege *Ioas*, dixit. Videat Dominus & requirat. Idem *SS. Martyres* non raro fecerunt.

R. 1. Provocationes ad divinum iudicium & communiter à damnatis ad mortem fiunt, magna ex parte temerariæ, & culpabiles sunt. Ratio vel enim sententia iudicis iusta, vel iniusta. Si iusta, manifestum est peccare provocantes. Si iniusta, nec humano ullo medio corrigi potest, necessarium est divinum id est, extraordinarium. Hoc autem provocatione exposcere nihil aliud est, quam tentare Deum, ut innocentiam damnati miraculo comprobet: quod absque ulla inspiratione peculiari non licet.

Nec obstant exempla allegata: quia sancti illi non provocarunt, ad tribunal Dei, sed imploratunt auxilium ipsius pro avertenda iniuria, & manifesta innocentia sua, quod absque miraculo fieri potest.

R. 2. Ut provocatio ad divinum iudicium peccato careat, requiritur 1. ut damnatus de sua innocentia, & iniuria iudicis formaliter certus sit. 2. ut propter gravitatem mali, & necessitatem innocentiam prodendam spes sit, habituram effectum, aut placituram Deo. 3. ut absque ullo passionis motu, & cum integra resignatione voluntatis propriæ in manus Dei fiat. His observatis à malicia excusari poterit talis actio, per se valde extraordinaria & periculosa. Exempla à prædictis auctoribus commemorata si fidem merentur, non plus evincunt: imo apud alios cordatos, & peritos nihil Mortuus ex g. iudex à reo citatus fuit puta intra mentem, vel annum. Vnde scies id est factum, quia citatus est, & non potius, quia sine citatione moriturus erat? Alias si quis imprecatus mortem fuerit proximo suo, si hunc contingat mori, imprecationi tribuetur, quod ut evenire possit, accidentarium, & incertum est.

TITVLVS X.

De Executione sententiæ.



Vnimirum omni iudiciorum conatus, hoc sententiæ rigor tendit: hic actionū fructus est,

ut iniuria sublata ius cui aversum reddatur. Reddent vel inviti. Equidem ut ab executione inchoandum non est.

z

t. r.